DISPUTATIO JURIDICA AD C. 3. N. 115. DE EXHEREDATIONE LIBERORUM & JURE NOVO IBIDEM À...

Conrad Carpzov, Theodor Wilhelm : von Beichlingen, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

VIRIS

Illuſtri generoſæ Nobilitatis proſapiâ, multâ multæ doctrinæ & virtutis præcellentia ſplendidiſſimis

DN. Hanſen von Werthern / in Werthern/ & Beichlingen / Wiehe / Frohndorff & Brücken/ Sacri Rom. Imperii Cameræ Præpoſito hereditario & Ianitori, Electoris Saxon. Conſiliario & Redituum annuorum Thuringiæ Præfecto

NEC NON

DN. GEORGIO à Werthern/ in Werthern/ Beichlingen / Wiehe / Frohndorff & Brücken.

Dominis ac Mæcenatibus ſuis liberaliſſimis

in ſubjectionis & gratitudinis teſtimonium hanc Diſputationem juridicam

D. & D.

Theodoricus Wilhelmus à Beichlingen.

In Nomine Domini JESU CHRISTI.

THESIS I.

SUmma olim parentibus in liberos fuit poteſtas, adeo ut jus vitæ & necis etiam habuerint, *l. in ſuis in fin. ff. de liber & poſthum l. fin. C. de patria poteſt.* at, quia patria poteſtas in pietate debet, non in atrocitate conſiſtere *l. Divus Hadrianus 5. in fin. ff. ad L. Pompei. de parricid.* nec tutum vindictam alicui concedere privatam *l. qui juriſdictionis 10. ff. de juriſdict.* optimâ ratione jus illud parentibus fuit ademptum *l. un. C. d. emendat. propinq. l. un. C. de his qui parent. vel lib. Occid.* Inde Ulpi. cenſuit, inauditum filium patrem non occidere poſſe *l. 2. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* & Hadrianus in inſulam deportavit patrem, qui in venatione filium interfecerat, ob adulterium cum noverca commiſſum *d. l. 5. ff. ad L. Pomp. de parricid.* Malè igitur Bodinus jus vitæ ac necis in liberos patribus pernitioſo exemplo ademptum, reſtitui oportere affirmat *lib. 1. de Repub. c. 4.*

II.

Per ſummam illam poteſtatem licuit parentibus liberos, quamvis naturalis ratio, quaſi lex quædam tacitá illorum hereditates his addiceret *l. cum ratio 7. ff. de bonis damnat.* argumento ſecundum Paulum à minori ad majus ducto *d. l. 11. ff. de liber. & poſthum.* exheredationis fulmine à bonis paternis repellere. Cum a. nemini invito & immerenti jus ſuum ſine cauſâ eripi vel auferri debeat *arg. l. id quod noſtrum ff. de R. I.* Et liberi vivis etiam parentibus, quodammodo domini bonorum exiſtimen-

tur §. *ſui autem Inſt. de hered. qual. & differ.* in reſtricta & limitata jam patria poteſtate, parentibus ſine juſta cauſa liberos exheredare non licuit. *l. ſi poſthumus* 14. *§. fin. ff. de lib. & poſthum. d. l. cum ratio* 7. *ff. de bonis damn. Donell.* 6. *Comm.* 12.

III.

Iuſta & ſufficiens exheredationis cauſa, olim nulla certâ lege aut definitione comprehenſa erat: ſed totum hoc negocium arbitrio centumvirorum erat relictum, illi quippe, ut de aliis gravibus cauſis, ſic hereditate & teſtamentorũ quæſtionib. judicabant. Valer. Max. *li.* 7. *c.* 7. ac fit mentio centumviralis judicii etiam à Scævolâ *in l. Titia filiam.* 13. *ff. d. in offic.* & *à Paulo in l. qui repudiantis* 17. *ff. eod.* ubi in not. Gothofr. ait: centumviri cognoſcebant de inofficioſo, quem etiam vide ad *l. ſi pars* 10. *ff. eodem* item Cujac *ad Novel.* 18. Petr. Greg. Tholoſ. *ſyntag. jur. univerſ. l.* 47. *c.* 24. *per tot.* meminitquoq; Centumvirorum Iuſtinianus *in l. maxi. vitium C. de lib. præter.* & cauſarum Centumviralium, Val. Förſt. *Hiſt. jur. Civ. lib.* 2. *c.* 27. *n.* 7.

IV.

Præſtat autem, quantum omninò fieri poteſt, legibus omnia definire, quàm judicis arbitrio multum permittere, Ariſt. *in Rhet. lib.* 1. *c.* 1. lex quippe eſt immota juſtitiæ regula, ſecundum Cic. quam faciendis quibuscunq; applicare decet, Ariſt. 3. *Polit.* in arbitrio contra ſæpe accidit, ut judices ſæpius animum ab affectib. habeant minus liberiorem, imò affectib. ſint obnoxii; cum illos ex naturâ tollere nõ liceat, *Parthen. Litig. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 4. Et apud Romanos in cauſis, quæ ab arbitrio dependebant, ſæpe non æquiſſimas ſententias dictatas fuiſſe, veriſimile eſt ex voto Alfonſi Regis Arragonum, de quo *Camer. oper. ſubciviſ. cent.* 1. *c.* 33. Hanc ob rem Imp. Iuſtinianus juris Religioſiſſimus de cauſis exheredationum novam conſtitutionem *in* N. 115. *c.* 3. ponere neceſſarium perſpexit. Etſi autem leges ſemel poſitæ conſtanter ſervandæ, ſecundum præclaram Auguſti Cæſaris ad Senatum Romanum cohortationem, *Dion. l.* 52. eas tamen neceſſitatis vel utilitatis causâ immutare licet, ut ejusdem Imperatoris exemplo oſtendit *Ioh. à Chokier Theſaur. Polit aph. l.* 2. *c.* 4.

V.

In hâc N. 115. c. 3. conſtitutione inſignem juris innova-

tionem fecit Imperator, quæ his quinq; capitlb. contineri videtur. 1. *Vt portio legitima ſolo inſtitutionis titulo in teſtamento relinquatur, nec præteriri poſſunt liberi, quamvis ex alio aliquo titulo legitimã habeant.* 2. *Vt causã exheredationis teſtator nominatim in ſuo teſtamento exprimat.* 3. *Vt ſit ex illis, quæ huic conſtitutioni nominatim inſeruntur, quarum hic ponuntur quatuordecim.* 4. *Vt heres ſcriptus doceat apud judicem, liberos ob juſtam vel legitimam cauſam fuiſſe exheredatos.* 5. *Deniq; ut teſtamentum, in quo filius eſt præteritus vel inique exheredatus, tantum quo ad inſtitutionẽ reſcindatur, quo ad cætera v. capitula valeat.*

De Primo.

Portio legitima quomodo relinquenda.

VI.

Legitima, quæ etiam, ſed minus propriè, Falcidia appellatur *l. quæ nuper 31. C. de inoffic. teſt. N. 92. eſt bonorum portio, quæ lege determinata liberis* (de liberorum hîc agimus) *qui ab inteſtato ſucceſſuri erant, ex rebus parentum debetur.* Portio eſt bonorum, & hereditatis *l. 6. C. d. inoff. teſt. l. Papinian. 8. §. 8. ff. d. inoff. teſt. facit*, quod prius omne æs alienum deducatur, quam legitimæ ratio ineatur; bona autem non intelliguntur, niſi quæ deducto ære alieno ſuperſunt, *l. ſubſignatum 39. §. bona. 1. ff. de V. S.* Et hanc ſententiam communem dicit *Gail. lib. 2. Obſ. 120.* quam etiam ſequuntur *Br. in l. ex facto ff. de hered. Inſtit. Anton. Fab. 14. in error. 6. Gilken. ad Auth. noviſſima C. de in offic. teſt. n. 4. & ſeqq. Sichard ad d. Auth. Noviſſima n. 3. Menoch. de adipiſci poſſeſſ. rem. 4. n. 162.* Etſi autem ſolo inſtitutionis titulo relinquatur *infr. th. 9.* nihilominus portio manet bonorum: ex re enim certâ inſtitutus heres eſt, quoad titulum, ratione onerum pro legatario habetur *l. quotiens 13. C. de hered. inſtit. Ant. Fab. d. l.*

VII.

Lege olim erat determinata ejus quantitas, quotcunquè eſſent liberi, quarta pars ſeu quadrans omnium bonorum, i. eſt, tres unciæ ex aſſe, id eſt duodecim unciis, quib. tota hereditas cõſtat, *l. 8. §. 6. & 8. ff. d. inoffic. teſt. l. 6. & 8. C. eod. §. fin Inſt. eod.* Hanc quantitatem in favorem liberorum Iuſtin. N. 18. auxit, ut ſi quis quatuor vel pauciores liberos reliquerit, ſit triens hoc e. quatuor unciæ vel tertia pars bonorum: Sin verò plures quã

 quatu-

quatuor ſit ſemis, id eſt, ſex unciæ vel dimidia pars bonorum. Hinc diſtichon illud *in gloſſ. ad d. §. ſiu. Inſt. de inoffic. teſtam.* quod allegat *Schneidvv. ad §. ſed hac ita, Inſt. eod. n. 8.*

Quatuor aut infra dant natu jura trientem
Semiſſem vero dant natu quinq; vel ultrà.

VIII.

Cumque debeatur legitima jure naturali ſive ſanguinis, ſtatuto in totum prohiberi non poteſt, ut rectè Contra *Sichardum Ad Authen. noviſſima C. de inoff. teſtam. num. 6. Ant. Fab. 15. error. pragm. 13. Petr. Greg. Tholoſ. in Syntag. jur. l. 44. c. 5. num. 9.* ſentiunt *Boer. deciſ. 188. nume. 6. Cagnol. ad l. jura ſanguinis ff. de R. J. numer. 6. Schurff. cent. 1. Conſ. 96. num. 11.* Quantitas interim ejus, quæ à jure Civili ad exemplũ L. Falcidiæ præſcripta & moribꝰ recepta eſt, alio jure civili vel conſuetudine augeri vel minui poteſt. Hãc opinionem æquiorem, veriorem & magis communem, eamq; Cameram Imperialem non ſemel, ſed aliquoties judicando ſecutam eſſe, teſtatur *Gail. lib. 2. Obſerv. 122. num. 11. Mynſing. C. 5. obſerv. 43. num. 2.* eandem Elector Saxoniæ Auguſtus felicis memoriæ circa legitimam filiorum in bonis feudalibus, quæ parentes noviter emerunt, ſecutus eſt, *teſte Dan. Moller. lib. 3. ſemeſtr. c. 5. num. 1. vide Thoming. deciſ. 2.*

IX.

Olim hæc legitima quovis titulo liberis relinqui potuit, *§. fin. Inſt. de inoff. teſt. l. 8. §. 6. l. 25. pr. ff. eod. l. 30. in fin. pr. l. 35. §. 2. Cod. eod.* Poſt hanc autem N. 115. c. 3. Conſtitutionem, non ſufficit quilibet titulus, verbi gratia, ſi filius eam habeat titulo legati, aut fideicommiſſi, aut mortis Cauſâ donationis, &c. Sed ſolum titulo inſtitutionis, ſive per ſolam inſtitutionem, liberis legitima debet relinqui. Expreſſè enim *in d. c. 3.* ſancitum, non licere liberos præterire, etiamſi portionem habeant legibus debitam. *Gomez 1. vari. reſolut. 11. num. 24. Sichard. ad Auth. noviſſima C. d. inoffic. teſtam. n. 7. ibid. Gilk. nu. 27. Vigl. ad §. fin. Inſt. eod.* qui & jure Pontificio idem obtinere teſtatur. *Diſſ. Anton. Fab. 14. error. pragm. 6. Vaud. 1. quæſt. 5. VValther 1. miſcel. 5.*

X.

Cur Imperator in hoc jus vetus mutare voluerit, ratio adducitur, quia titulus inſtitutionis honorabilis eſt, *l. 3. §. hoc*

autem

autem l.filium §.ſed ſi portio ff.de legat præſtand.poſt Barthol. & bardus in d.Auth.noviſſima num.9.Gothofr.in notis ad Scheidvv.in §.ſed hæc ita Inſt.de inoffic.teſtam.num.3.Schurff cent.3 conſ.60.num.4. item, in hoc titulo inſtitutionis locum habet jus accreſcendi; ſi enim Cum filio alius coheres inſtituatur, qui forte nolit vel repudiet hereditatem, tota hereditas filio accreſceret, quæ accretio ceſſaret, ſi alio titulo legitima ad filium pertineret, *Sichard. d. num. 9.*

XI.

Quod ſi alicui titulo quidem inſtitutionis, ſed minus legitima quid eſſet relictum, teſtamentum inofficioſi querelâ poterat everti; Unde fiebat ut plerumquè ac facilè circumveniretur defuncti & ſani alioquin hominis voluntas, qui licet eo animo fuiſſet, ut nullam filio in legitimâ injuriam faceret, errore tamen lapſus in ſuo patrimonio æſtimando, paulo minus reliquiſſet quàm ex legibus debuiſſet, *Ant.Fab: error* 8. quod Juſtinianus Conſtitutione ſuâ *in l.omnimodo 30. C.de inoffic.teſt.* æquiſſimè temperans emendavit, ubi voluit, ut præterito vel exheredato actio ad ſupplementum legitimæ competeret, quâ id quod deeſt legitimæ conſequatur; eandem actionem *l. quæ nuper 31.l.ſeq.item l.ſcimus 36.C.eod.* confirmavit & hoc c.3. intactam reliquit unde & hodie adhuc obtinet *argl. ſancimus C. de teſtam. & l præcipimus C.de appellat.* nam in eo favorabilis eſt, quod teſtamento conſervando ſerviat, ut defuncti famæ & exiſtimationi parceretur, & eâ nihilominus liberi portionem ſibi debitam conſequantur, nec ullum in legitimâ damnum ſentiant.

XII.

Illud dubium eſt, *quâ actione ad ſupplementum legitimæ agatur*: Nonnulli ſtatuunt petitionem hereditatis competere. Alii familiæ erciſcundæ judicium; quæ opinio falſo nititur præſuppoſito, quaſi legitima non bonorum, ſed hereditatis quota ſit, *ſup.th.6.Br.in l.ſi quis in ſuo 33. C.de inoffic.teſtam. num.4. & in l.non eſt.9.C.famil.erciſc.num.3.Zaſ. ad §. actionum Inſt.de action. num.79 Scheidvv.ibid.num.79.* Alii ex teſtamento actionem, *Ant. Fab.error prag.Decad.14.error.8.* Verior videtur illorum ſententia, qui ex lege dari condictionem exiſtimant; ex lege enim agendum eſt, ſi obligatio lege nova introducta ſit, nec cautum eadem

eadem lege quo genere actionis experiamur. *l.unc.ff.condict.ex lege* nova autem obligatio *d.l.30.C. de inoffic. teſtam.* eſt introducta, quâ ſcriptus heres præterito vel exheredato ad ſupplementum legitimæ tenetur. *Donell.6.Comm.12.Schurff.cent.2. conſ.28.n.9.Gail.lib.2.Obſerv.120.num.3.* Hæc condictio non quinquennio, ut querela inofficioſi, ſed annis 30. præſcribitur *Gomez tom.1.var. reſol.cap.11.num.23. Vigl.ad §.3. Inſt.de inoffic.teſt.nume.2. ibid.Vult.num.4. Mynſing.2.Obſ.72.Gail.d.Obſer.120.n.7.*

XIII.

Legitima hæc, quia non judicio teſtatoris, ſed ex proviſione legis debetur, nullo gravamine onerari poteſt, unde nec fideicommiſſo gravari *Gail.2.Obſerv.119.ubi ait nume.3.* ſi parens juris imperitus, onus vel gravamen aliquod legitimæ imponat, illud pro non adjecto habebitur. Quam ſententiam uſum hodiernum & praxin quotidianam confirmare, teſtatur ICtus præclarus *D.Helfr.Vlr.Hunn.in Reſolut. ad Treut. Vol.1.diſp.13. th.12.l.6.in fin.* Ex his, legatum uſusfructus omnium bonorū filio herede inſtituto, ad privandū ipſum legitimâ, non valere, contra Cæpollæ inſtructionem *Caut.21.* docet *Moller. 3. ſemeſtr.11.* Hinc quoque pater, ſi filium in proprietate legitimæ inſtitueret, ejus uſumfructum ne unius diei quidem uxori relinquere poteſt, haberet enim legitima gravamen adjunctum *Sichard.ad Auth.noviſſima C.de inoffic.teſtam.num.24.Vbi nu 25.ex Caſtr.tradit.l. uxori meæ 37.ff. de uſufr.legat. per d.auth. noviſſima deſumtum ex Nov. 18.c.1.* eſſe ſublatam, ut ſic eo caſu uxor non omnium bonorum, ſed tantum octo unciarum uſumfr. habebat.

De Secundo

Cauſa exheredationis in teſtamento nominatim debet eſſe expreſſa.

XIV.

Cauſæ exheredationis jure veteri non neceſſariò exprimebantur, & ſatis erat eas ab herede ſcripto poſtea allegari, *Donell.ad Auth.ex cauſa C.de liber.præt n.2.* quod probari videtur, ex for-

formula illa uſitatiſſima, quâ exheredatio fieri ſolebat, FILIUS MEUS EXHERES ESTO, *l.2.l.3.§.2.l.13.§.2.l.14.§.2.de liber & poſth.l.cum in teſtamento 37.§.qui tres 2.l.ſi quis 68.infin. ff.de heredib Inſtit.* cum ſimilibus, cujus ratio ſumma vis erat patriæ poteſtatis *ſupr.th.2.* quæ etiam ob cauſas indignas exheredationem permittebat, h.c.3.

XV.

Illud Imp. Juſtinianus, qui omnibus modis exheredandi facultatem reſtringere ac minuere voluit, ne tã facile exheredationis fulmen in liberos liceat vibrare h.c.3. ex quo deſumta eſt *Auth.non licet C.de liber.præter.* immutavit, ut teſtator exheredationem liberorum aliter non facere poſſit, niſi cum elogio id eſt expreſſione ſeu nominatione cauſæ in ipſo teſtamento per verba expreſſa in h.c.3. ibi: *Niſi forſan probabuntur ingrati, & ipſas nominatim ingratitudinis cauſas parentes ſuo inſeruerint teſtamento*, & in d.Auth ibi: *Et ingratitudinis cauſas nominatim teſtamento inſerat. Sichard.ad d.Auth.n.23.Gilk.ibid.n.5.*

XVI.

Et adeò cauſæ expreſſio neceſſaria eſt, ut ſi inſerta non ſit, heredes ſcripti eam probare parati non audiantur (quod tamẽ Angelo & Jaſoni placuiſſe teſtatur *Gilk.ad Auth. non licet C.de liber.præter. num 7.*) quia cauſæ probatio ab herede à Juſtiniano non ſolum, ſed & ejuſdem inſertio ſimul & conjunctim requiritur; ubi autem legę duo conjunctim ponuntur, ſeorſim unum adhibuiſſe non ſufficit, *arg.l.prætor 4.§.docereq; 2.ff. de vi bonor. rapt.l. ſi per alium 5. §. docere 2. ff. ne quis eum qui in jus vocab. Bartol in l.ſi filio præterito ff.de injuſt.rupt.n.14.Gomez tom.1.reſol.c.11. Gilk.ad d.Auth. non licet num.6.*

XVII.

Exceptionem ponunt Dd. cauſæ expreſſionem non eſſe neceſſariam eo caſu, quo fit exheredatio in favorem & utilitatem liberorum, multi enim non notæ causâ exheredant filios, nec ut eis obſint, ſed ut eis conſulant, (utputa impuberibus) eisque fidei commiſſam hereditatem dant. *l.multi 18.ff. de liber.& poſthum.vid.l.3.§.3.ff.de uſur.l.16.§.2.ff. de Curat.furioſ.l. 67.§.10.l.*

68. ff. de legat 2. l. 77. §. 3. ff. de condit & demonſtr. & dicitur iſta exheredatio à ICtis fieri bonâ mente *Vigl. ad §. fin. Inſt. de exhered. liber. num. 9.* hujus modum explicat *Sichard. ad Auth. non licet C. de liber præter. n. 26.* veluti: Mulier multa habens paraphernalia, & maritum decoctorem, dum teſtamentum fecerit, ſenſit inſtitutionem de filio factam, eſſe ipſi damnoſam, ideo filium exheredat, alium inſtituens cum gravamine, ut is, ſi filius ſui juris, aut légitimæ ætatis fuerit, ei omnia bona reſtituat: Habent & aliam exceptionem. Si filius conſentiat in exheredationem ſui, *Sichard. ibid. n. 27. Vigl. ad d. §. fin. num. 9.*

XVIII.

Hujusmodi exceptiones ſecundum practicam veritatem, ex bono & æquo ſuſtineri quidem poſſunt; nam & apud veteres multa jure civili, contra rationem diſputandi, pro utilitate communi recepta eſſe innumerabilibus rebus probari poſſe, teſtatur *Iulianus in l. ita vulneratus 51. ff. ad L. Aquil.* nec ſemper bonæ fidei congruit de apicibus juris diſputare, *l. ſi fidejuſſor 29. §. quædam 4. ff. mandati,* Veritate tamen Theorica penitius inſpectâ, & in puncto juris vix eſt, ut propter textus c. 3. generalitatem recipiantur.

De Tertio

Quænam juſta ſit exheredationis cauſa.

XIX.

Nulla lege exheredationis cauſæ olim erant comprehenſæ, *ſupr. th. 3.* ſed legibus erant diſperſæ & non apertè declaratæ, aliæ indignæ erant poſitæ, aliæ dignæ erant omiſſæ; ideò neceſſarium perſpexit Imp. Juſtinianus, eas nominatim præſenti c. 3. Comprehendere; quarum 14. poſuit, illæ certis verſiculis *à gl. ad §. fin. Inſt. de inoffic. teſtam.* cōtinentur quos paulò aliter refert *VVeſenb. in parat. de lib. & poſthum. n. 4. in fin.*

Bis ſeptem ex cauſis exheres filius eſto:
Si patrem feriat; vel maledicat ei;

Carce-

Carcere detruſum ſi negligat; aut furioſum;
Criminis accuſet; vel paret inſidias;
Si dederit damnum grave; ſi nec ab hoſte redemit;
Teſtarive vetet: ſi ſociet ve malis
Se mimos ſequitur; vitietve cubile parentum;
Non orthodoxus; filia ſi meretrix.

XX.

Et has ita nominatim voluit comprehendere, ut præter ipſas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis cauſas opponere, niſi quæ in hujus c. 3. conſtitutionis ſerie continentur. Eſt igitur contra mentem Juſtiniani, imo conſtitutioni ipſius è diametro oppoſitum, ex ſimilibus aut majoribus cauſis exheredationem concedere. De quo judicium *Vigl. Zuich. in §. fin. Inſt. de exhered. lib. num. 8.* hîc apponere placet. *Illud mirum, inquit, cum expreſſè dicat Imper. præter quatuordecim cauſas enumeratas nullam aliam poſſe objici. Interpretes tamen ſimiles gravioresquè communi opinione admiſiſſe: ut hodie non quatuordecim ſint cauſæ, ſed infinitæ propè ac innumerabiles: quæ ſententia mihi nunquam placuit. Quid enim erat enumeratione opus? aut cur queritur Imperator, ab antiquis graviores cauſas fuiſſe prætermiſſas, ſi hîc licita erat extenſio? aut in quo veterum altercatio ſublata eſt, ſi adhuc alias licet aſſumere? Nuſquam certè gravius ab interpretibus peccatur, quam in hac extendarum legum licentia*, hæc ille. Ipſius ſententiam ut veriorem ſequuntur *Schurff. c. 2. Conſ. 97. num. 4 Giphan. ad A. non licet C. de liber. præter. Donell. ibid, n. 3. Vult. ad pr. Inſt. de inofficioſ. teſtam. n.* 14. Diſſentiunt quam plurimi quorum Catalogum *vide apud Gilk. ad d. A. non licet n.* 15.

XXI.

Prima cauſa eſt; *ſi liberi parentibus ſuis manus intulerint* §. 1. i. e. patrem vel matrem percuſſerint *Sichard. ad d. A. non licet n.* 3. ſcelus hoc eſſe execrabile, conſtat exinde quod lege Servia capitale ſupplicium propoſitum ſit iis, qui parentem verberaſſent, quam legem ſic verbis conceptam refert ex *Feſto Bodin. de Rep. lib. 1. c. 4.* Si parentem puer verberit, aſt olle ploraſſit; puer Divis

ſacer eſt. Idem lege divina conſtitutum *Exod. 21. v. 15. ibi* qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem, morte moriatur. *VVeſenb. in parat ad L. Pompei de parric. num. 7.* Quod ſi miles, qui manum centurioni intulit, capite punitur *l. milites 13. §. irreverens 4. ff. de re milit.* multò magis filius, qui idem contra parentem tentaverit, ut cui magis ſit ſubjectus, & à quo poſt DEUM, vitam & omnia ſua acceperit; unde Ulp. ait: ſi filius patrem aut matrem, quos venerari oportet, Contumeliis afficit, vel impias manus eis infert, Præfectus urbis delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo ejus vindicat *l. 1. §. 2. ff. de obſeq. parent. & patr.* quod fit ex arbitrio *l. 3. & 4. C. de patr. poteſt.* Hodie filius carcere, relegatione, vel etiam manus quâ verberavit amputatione punitur *VVeſenb. in par. ff. ad l. Pomp. de parr. n. 12.* eſt & hac de re deciſum *in Conſtitutione 1.* Alberti Imperatoris, quæ habetur *poſt jus feudale Saxonicum*, pag: (mihi) 187. ibi: Welcher Sohn ſeinen Vatter an ſeinem Leibe frevenclich angreifft / oder jhn wundet / oder fehet / wird er des vor ſeinem Richter vberwunden / als hie geſprochen iſt / derſelbe ſoll ehrloß vnd Rechtloß ſein ewiglich / alſo daß er zu ſeinen Ehren vnnd ſeinem Recht nimmer kommen möge.

XXII.

Secunda cauſa eſt; *ſi liberi parentibus gravem & inhoneſtam injuriam ingeſſerint*, §. 2. Plerique hæc verba ad quamcunque injuriam gravem extendunt, *teſte Gothofr. in not. hîc* ſed hac admiſſâ interpretatione, etiam alias ingratitudinis cauſas, in h. c. 3. enumeratas comprehenderent, quod tamen minimè dicendum, ne Imp. easdem recenſens, tautologiam commiſiſſe videatur; Itaque per injuriam, ex oppoſitione §. 1. hîc intelligitur verbalis, quando manus non inferuntur; ſed aut voce aut dicto alicui Contumelia imponitur. aut ſcripto, aut literis *l. 1. §. 1. l. lex Cornelia 5. §. ſi quis liberum ff. de injur.* (nam & literis ſeu ſcripto injuria illata verbalis eſt, *Bocer. in tract. de famoſ. libell. cap. 1. in fin.*) Ob ejusmodi injuriam, quam parentes paſſi ſunt, liberos meritò exheredant, cum & militia indignus judicandus ſit, quia patrem & matrē, à quib. ſe educatum dixerit, maleficos

ficos appellaverit *l.1.§.fin.ff. de Obſeq.parent.* hinc eſt, quod famoſæ actiones adverſus parentes non dentur *l.parens 5.§.1.ff.eod.*& in judicio filii de turpitudine parentis vix dicere oportere, *Cicer.ait pro Cluent.* filio enim perſona patris ſemper honeſtâ & ſancta videri debet *l. liberto 9.ff.de obſeq.parent.* Unde & injuriam patri factam atrociorem exiſtimat Ulp. *in l. prætor.7.§.fin.ff. de injur.*

XXIII.

Tertia cauſa eſt: *ſi liberi parentes in criminalibus cauſis accuſaverint;* §.3. Hæc quoque cauſa omninò ſufficiens cenſenda, nam & aliâs propter conditionem ſuam liberi adverſus parentes criminis accuſationem inſtituere non poſſunt *l. qui accuſare 8.in fin ff.d.accuſat. VVeſenb.in parat. ibid.n.* 9. Inde Alexander Petronio reſcripſit *in l.falſi 5.C.ad l.Cornel.de falſ.Falſi quidem crimen vel aliud capitale movere vos matri veſtræ,ſecta mea non patitur.* Et ob accuſationē criminalem inſtitutam Lycophronem olim Periandri filium relegatum fuiſſe,arbitratur *Petr.Greg.Tholoſ.in ſyntag jur.li.32.c.16.n.4.* ubi addit,Cham cum ſucceſſura ei9 ſobole ſervituti adjudicatum fuiſſe quod patrem ebrietatis apud fratres incuſaſſet, *Geneſ.c.9.verſ* 24.

XXIV.

A cauſis illis criminalibus excipitur crimen læſæ Majeſtatis,in cujus judicio,ut multa alia, propter ejus enormitatem,ſic & hoc ſingulariter eſt receptum, ut accuſari poſſint, qui alioquin ad accuſandum ſunt inhabiles, V.C.famoſi, milites,ſervi & liberti *l.7.ff.ad L.juliam Majeſt.* ita & hic filius patrem accuſare poteſt, *h.§.3.Gothofr. ad.d.l.7.§. 2.ff. ad L.juliam Majeſt. Harpr.ad §.publica autem 3.Inſtit.de publ.jud.* Pari ratione vaſallus dominum de Capitali crimine accuſare nequit,niſi de crimine læſæ majeſtatis, *Rittersh.part.feud.lib.2.c.5.q.16.* Excipitur itidem crimen,quod eſt adverſus Remp.h.§.3. de eo enim filius patrem accuſare poteſt,cum & eundem patriæ oppugnatorem jure occidat *l.minimè 35.ff.de relig.& ſumt.fun.* quod olim duos nobiles de Falckenſtein feciſſe ex Zaſio refert *Gothofr. in not.ibid.* His igitur caſibus filius, cum in licitis verſetur exheredari non poterit.

XXV.

Quarta cauſa eſt: *ſi liberi cum maleficis, ut malefici verſentur*. §.4. Nomen hoc (maleficus) ſagis per excellentiam tribuitur, ob inſigne nocendi ſtudium & facinorum magnitudinem *can. nec mirum 26. q. 5. l. nemo 5. C. de maleſic. & mathemat. Petrus Binsfeld ad rubr. C. eod. notab. 6.* hoc autem modo, maleficorum nomine generaliter accipiendi videntur, qui damnum inferunt, qui nocent alteri, ſicuti maleficium dicitur omne malefactum in genere *l. ita vulneratus 51. ff. ad L. Aquil. l. ſi operis 14. C. de pœn. Vid. Cujac. in parat. C. de maleſic. & mathemat.* Cum quo non parum convenit explicatio *Sichard. ad A. non licet C. de liber. præt. num. 3.* ubi ait: *ſi cum maleficis verſantur ut malefici, id eſt ſectam aliquam damnatam ſecuti fuerint: ut forte hodiè eſſet verſari cum Anabaptiſtis.* Notandum autem non ſolam ſocietatem, ſed ſi criminis ſit ſocietas, aliquem exheredari, & hoc eſt, quod dicitur: (ut. Maleficus verſatur.) *l. 39. § 4. ff. ad L. jul. de adult. N. 22. c. 15 Gothofr. in not. hic.*

XXVI.

Quinta cauſa eſt: *ſi liberi vitæ parentum ſuorum per veneunm, aut alio modo inſidiari tentaverint.* §. 5. Conatus enim qui ad actum aliquem pervenit, in tam atrociſſimo teterrimoque delicto, meritò pro delicto perfecto & conſumato accipitur, *Harpr. ad §. alia deinde lex 5. Inſtit. de public. jud.* Hinc factum quod filius, qui, ut patrem vel matrem extingueret & necaret, venenum emit, quo tamen uti poſtea non potuit, lege Pompeia teneatur *l. 1. in fin. ff. ad L. Pomp.* Secundum Salicet. tamen ait *VVeſenb. in parat. eode. num. 7.* judicem hoc caſu pœnam legis mitigare poſſe, ſed ad eam moderationem cogi non debere; ubi & meminit: ex hoc capite mulierem, quæ in gratiam adulteri, marito Pharmacum animo occidendi dederat, capitis damnatam fuiſſe, quamvis maritus veneno non eſſet extinctus.

XXVII.

Sexta cauſa eſt: *Si liberi novercæ ſuæ, vel patris concubinæ, ſe compi-*

commiſcuerint. §. 6. Noverca matris loco habetur, quare matrimonio eam ſibi copulare nefas eſt. §. *ſacrum queq;* 7. *Inſtitut. de nupt.* *l.* 4 §. 7. *ff. de grad. l. nemini* 17. *C. de nupt.* nec concubinas parentum ſuorum liberi uxores ducere poſſunt: quia minus religioſum & probabilẽ rem facere videntur, *l. liberi* 4. *C. de nupt.* Et cum quidam apud Corinthios patris ſui uxorem habebat, à D. Paulo per excommunicationem ab Eccleſia excludebatur *Epiſtol.* 1. *ad Corinth.* 5. *v.* 1. Sic Ruben filius primogenitus Iſraël, primogenituræ privilegio excidit, Parente in ultima voluntate hoc declarante, quod patris ſui thorum violaſſet, ejusque primogenita data ſunt filiis Joſeph, Imperium Judæ, & ſacerdotium levi, *Geneſ.* 49. *v.* 3. 1. *Paral.* 5. *v.* 1.

XXVIII.

At ſi quis cum matre inceſtum commiſerit, poteritne exheredari? Illud Imp. hîc non conſtituit, exemplo fortaſſe Solonis, nullam parricidis pœnam deſtinâtis; de quo rogatus, reſpondit: neminem adeò deteſtabilem fore, quem id facturum putaret *Cic. pro Roſc. Amer.* Eſt enim ejusmodi coitus adeò nefandus & abominabilis, ut & irrationabilia quædam animalia iſtum refugere & adverſari aſtruat, *Iuſtinianus Nov.* 12. *cap.* 1. cujus rei multa ex probatis autoribus refert exempla. *Tiraquell. in* 7. *leg. connub. num.* 47. Et hunc ſecutus *Borch de grad.* Quod ſi talis caſus (ut in deteſtando Neronis exemplo) Contigerit, vix locus erit de exheredatione quæſtionis quin potius jubeat, Imper. inſurgere leges, armari jura gladio ultore, ut diro hoc modo delinquentes pœnis exquiſitis ſubjiciantur.

XXIX.

Septima cauſa eſt: *ſi parentes detulerint, eâque ratione grave ipſi damnum dederint*, §. 7. Delator aliàs accuſator dicitur, *l.* 10. *ff. de jur. patr. leg. ſenatus leg. deferre* §. 8. *v. idem decreverunt ff. de jur. fiſci.* Hic autem §. de accuſatore intelligi non poteſt, de eo enim §. 3. fuit dictum, nec verba illa (gravia diſpendia) admittunt, quia ex accuſatione non tam in bonis quam in capite & vitâ læditur reus, *A. bona damnatorum C. de bonis damnat.* diſpendium autem de bonis propriè dicitur.

Ita-

Itaque cum Sonsbec,*f.p.* 1 2.*n.*46.delator hic accipiendus eſt, qui fiſco nunciat rem caducam,vel bona vacantia, commiſſa, tacita fidei commiſſa,vaga mancipia, theſauri inventionem. *Cujac.in parat C.de delat.* Delatoribus hiſce quarta pars bonorum fiſco nunciatorum cedebat,unde quadruplatores dicuntur.*Vid.Cujac.lib.* 19.*obſe.cap.* 13. De lege circa delatores lata ſic ſcribit. *Iohan. á Chokier in Theſau. polit. aphor.lib.6.cap.9.* ibi: *Inter alia,quæ veteribus ſanciendæ legis PAPIÆ de Delatorum præmiis anſam præbuerunt,fuere clandeſtinæ in principes perditorum & facinoroſorum hominum conjurationes, quæ cum occultis eorum machinamentis impunitæ,ut plurimum eſſent,utile viſum eſt quosdam inſtituere, qui facta dictaq́ꝫ ſubditorum clam exciperent,ut hoc proclivius occultum illud animorum virus pateret, magnis quidem eam ob rem Delatoribus conſtitutis præmiis,quæ poſtea Nero Imp.ad quartam partem bonorum accuſati reduxit & inde,quadruplatores dicti, quod quartam partem de proſcriptorum facultatibus,quas detulerant conſequerentur.* hæc ille. Cum autem ſæpè abuterentur jure delationum etiam adverſus innocentes,quos calumnioſè deferebant, non tam amore ac ſtudio juris fiſcalis conſervandi, quam præmii duntaxat ſui causâ: hinc factum,ut nomen delatorum apud Romanos, odioſum eſſe cæperit.*Rittersh.lib.2.part.feud.cap.5.q.19.*

XXX.

Octava cauſa eſt: *ſi pater fuerit conjectus in vincula, & filius noluerit pro eo fidejubere*, §.8.quamvis autem aliâs æs alienum patris filius non cogatur ſolvere,*L.1. & t.t. C. ne filius pro patr.* ingratus tamen cenſetur in parentem, qui pro eo in carcerem incluſo noluit fidejubere, ſi fidejuſſione hac patrem liberare potuiſſet. Adducit *in not. Gothofr.*exemplum Cimonis, cujus & meminit.*Petr.Greg.Tholoſ.in Syntag jur.lib.*22.*c.*10. *num.4.* Et tradunt Dd.valere ſtatutum,ut filii mercatorum teneantur ad debita patris,etſi non probentur heredes, vel etiamſi repudiarint hereditatem,quod tamen durum videri ait.*Mynſing.cen.1.Obſ.29.in.f.* Hæc cauſa ceſſat in fœmina, ut quæ per SCtum Velleianum fidejubere impediatur,*l.*1.*&* 2.*ff. ad SC.Vellei.*

XXXI.

Nona Cauſa eſt: *ſi liberi parentes ſuos teſtari prohibuerint.* §.9.

Hi

Hi cum indignos ſe reddant hereditate paterna, pater ſi poſtea teſtamentum facere potuerit, eos exheredare licentiam habet. Quod ſi inteſtati deceſſerint locum habet conſtitutio D. Adriani, quâ ei, qui prohibet vel impedimento dolo malo eſt, quo minus teſtamentum fiat aut mutetur, actiones denegantur, illisque denegatis fiſco locus fit, *l.1.in pr.ff.ſi quis aliq. teſt.a.prohib.* quod tamen verum eſt reſpectu delinquentis, nam ſi alii cum illo ſuccedant, ejus factum cæteris inſontibus nocere non debet *l.2.ff.eod.ibid.VVeſenb.in parat.Vid.cujac.in parat.ff.& C.eod. ibidemq; ad Pand.Colleg.Argent.tom.poſt.*

XXXII.

Decima cauſa eſt: *ſi liberi præter voluntatem parentum arenariis & mimis ſeſe junxerint* §. 10. id eſt iis, qui cum beſtiis pugnant, vel artem ludicram exercent; Arenarii enim ſunt, qui in arenam pugnandi causâ deſcendunt l.*hoc demum* 38.*ff.d.oper. liber.* Hi etiam cum feris beſtiis pugnabant, unde & beſtiarii quibusdam dicti ſunt *Coraſ.lib.4.Miſc.cap.24.n.9.* Mimi ſunt joculatores, latinè effictores dicuntur, qui geſticulationes exercent, *Coraſ.d.cap.24.* Qui autem operas ſuas, ut cum beſtiis depugnaret, locaverit, item in ſcœnam ludorum faciendorum causâ prodierit, famoſus eſt *l.1.§. removet.ff.d. poſtuland. l. quod ait 2 §.ait prætor.5.ff.de his qui not.infam.* quamvis enim virtutem ſuam & induſtriam oſtendat, hoc tamen ejus oſtentendæ gratiâ non facit, ſed propter præmium & mercedem, ac quæſtus gratiâ, quæ res cum infamem facit, alioquin non eſſet infamis, niſi in ſcęna ipſa paſſus eſſet ſe honorari *d.§.removet* tunc enim veluti mercede vanæ gloriæ & acclamationis populi operas ſuas locaſſe videtur. *Ant.Fab.in Rat.ad d.l.2.§.5.ff. de his, qui not. infam.Vide hâc de re elegantia apud eund.in Ration.ad.d. l. 1. §. 6.ff. de poſtul.* Filium itaq; arenarium vel mimum, pater meritò ſucceſſione ſuâ indignum judicat, nam & olim tali filio ex reſcripto Alexandri *in l. in arenam* 11. *C.inoffi.teſtam.* neq; de inofficioſo teſtamento accuſatio, neque bonorũ poſſeſſio competebat. Hæc autem vera ſunt, ſi parentes ejusdem profeſſionis non fuerint, id eſt niſi & ipſi arenarii vel mimi

fue-

fuerint h. §. 10. mores enim quos quis in ſe approbat, in liberis reprobare non poteſt, & infamis infami nihil objicit *l. quoniam C. de heret. & Manich. gl. hic, Sichard. ad A. non licet* C. *de liber. pret. n. 3. & ad l. in arenam* 11. *C. de inoffic. teſtam. n* 6. Aliàs etiam paria delicta mutuâ compenſatione tolluntur, *l. viro* 39. *ff. ſolut. matrim. l. ſi ambo* 10. *ff. de compenſ. l. quidam Titium* 7. *ff. ſi quis om. cauſ. teſt. Anton. Fab. in Rat. ad l. ſi duo* 36. *ff. de dolo malo.*

XXXIII.

Undecima cauſa eſt: *ſi filia vel neptis minor* 25. *annis honeſtum reſpuens matrimonium luxurioſè vivat, vel ſine parentum conſenſu major* 25. *annis ſe copulaverit non libero*, §. 11. Non autem hic ſufficit nuptias à patre oblatas detrectare, id enim licet, *cum te pietatis* 18. *C. de inoffic. teſtam.* ſed ſi detrectaverit filia, ut luxurioſam vitam eligeret, velut ingrata à parente poteſt exhæredari *l. ſi filiam* 19. *C. eodem.* Quod ſi parentes filiam intra annum 25. elocare neglexerint, & filia in corpus ſuum peccarit, vel invitis parentibus libero homini nupſerit, exhæredari à parentibus non poteſt, qui ipſi cauſam peccandi filiæ dediſſe videntur, h. §. 3. Illud verum eſſe exiſtimat *Gothofr. in not. hic,* quando in corpus ſuum peccaverit, forte ſemel aut aliquoties, clam tamen, aliud eſſe ſi palàm turpiter vivat & flagitioſè *per l.* 19. *C. de inoffic. teſt.* hæc enim verè, illa non item meretrix eſt; cum non ſit meretrix, nec turpis perſona, quæ ſui amanti copiam facit, ſed quæ corpore ſuo quæſtum meretur *l. palam* 34. *ff. de R. N. cap. Vidua diſtin.* 34. *Menoch. lib.* 2. *de arbitr. jud. quæſt. caſ.* 328. *num.* 4. ſed huic Gothofr. opinioni textus generalitas reclamare videtur.

XXXIV.

Hanc cauſam exheredationis ob turpem filiæ vitam, jure Saxon. non obtinere, ſed eo ſcorta exiſtimatione non etiam hereditate privari, ait *VVeſenb. in parat. ff. de lib. & poſth. per text.* Landr. *lib.* 1. *art.* 5. *ibi.* Ein Weib mag mit vnkeuſchheit jhres Leibes jhre Weibliche Ehre krencken/ jhr recht verleuret ſie aber damit nicht / noch jhr Erbe. Quem textum tamen gl. ibidem reſtringit, ad talem filiam, quæ defuncto jam patre turpem vitam inſequi incipiat, utpote quæ

jam

jam hereditatem adepta ſit, aut in continenti conſequi debeat, quæ reſtrictio exinde probabilis videtur, quod filia ejusmodi hereditatem, non jus ſuccedendi amittere dicatur: non malè hic textus fortaſſis exaudiri quoque poterit, de hereditate ab inteſtato, non verò de hereditate ex teſtamento; Nam & Arenarius juſtè exheredari poteſt *th.12.* jus tamen ſuccedendi ab inteſtato retinet, cum legitimæ ſucceſsiones ipſi ſint integræ *l. in arenam 11. C. de inoffic. teſtam.* Cauſa enim quæ ſufficit ad repellendum aliquem à ſucceſsione teſtati, ea non ſufficit ad repellendum aliquem à ſucceſsione inteſtati, *Sichard. ad d. l. in arenam 11. num. 5.*

XXXV.

An autem liberi exheredari poſſunt, ſi abſq; patris conſenſu nuptias contraxerint, ambigitur hic: Fieri hoc poſſe multi exiſtimant, negativa tamen verior videtur: quod hæc cauſa in h. c. 3. non exprimatur *Vide theſ.* 20. & contentus fuit Imp. eo, quod ejusmodi liberi careant jure & fructu patriæ poteſtatis, §. *Si adverſus Inſt. de nupt.* quamvis olim filius exheredari potuerit, qui cum inhoneſtâ muliere matrimonium contraxerit *l. non tantum 3. §. ſi mancipatus 5. ff de bon. poß. contr. tab.* de hac quæſtione multos allegat *Harprecht ad pr. Inſt. de nupt. n.* 87. Hujus quæſtionis deciſio Magiſtratus arbitrio relinquitur ex receſſu Imperii de Anno 1548. Auguſt. ſub. tit. vom Sacrament der Ehe/ in fin. ibi: ob aber die Eltern in dieſem fall macht haben ſollen/ den Ungehorſam jhrer Kinder / mit vorhaltung der Erbſchafft / oder zum wenigſten mit ringerung des Heyrahtguts/ vnd in andere wege zu ſtraffen / mag hierinnen die ordentliche Obrigkeit / ſo viel ſich gebühret/ Maß vnd Ordnung geben Eſt etiam hac de re conſtitutio ſpecialis Elector. Auguſti in conſtitut. Eccleſ. von Ehegelübniſſen. ibidem. Sollen die Eltern jhnen (videlicet liberis, quando ſine conſenſu parentum ſponſalia celebraverint, de quo in præcedentibus dicitur) mit etwas zu der Ausſtattung behülfflich zu ſein nicht verpflicht / ſondern vielmehr befügt/ vnd jhnen

 hier-

hiermit nachgelaſſen ſeyn / ſolche vngehorſame Kin-
der / bis auff den halben theil jhrer gebührenden legi-
timæ, vnd nach gelegenheit der vrſachen jhres verwi-
gerten conſens, gentzlich zu enterben.

XXXVI.

Duodecima cauſa eſt: *ſi liberi neglexerint patri furioſi curam
præbere, ab eo ad ſanitatem reverſo exheredari poſſunt*, § 12. idque
pietas poſtulat; nam, ſi legum contemtor & impius pater ſit,
Nov. 12. *cap.* 2. cur non furioſus? huic enim nihil imputari pot-
eſt, unde furore patria poteſtas non tollitur. *leg. patre furioſo* 8.
ff. de his qui ſui. vel alien. jur. ſunt, &, ſi patri in inſulam relegato, li-
beri alimoniam præſtare tenentur. *l. mutus* 73. *§. manente*. 1. *ff. de
jur. dot. A. inceſtas C. de inceſtis & inutilib. nuptiis.* multò magis fu-
rioſo. Sic filii parenti hæretico alimenta præſtare tenentur,
argum. cap. 1. *diſt.* 30. *Menoch. lib.* 1. *arbitr. de arb. jud. quæſt.* 90. *num.*
45. ob hanc igitur negligentiam liberi non ſolum exheredati-
one, ſed & aliis pœnis digni ſunt. *A. liberi C. de Epiſcop. audient.* Ex-
traneus, qui denunciatione in ſcriptis factâ filiis mandavit;
ut curam habeant de patre furioſo, & iis negligentibus, curam
& diligentiam furioſo exhibuit, ad ſucceſſionem ejus admit-
titur. *h.* §. 13.

XXXVII.

Decima tertia cauſa eſt: *ſi liberi patrem captivum redimere
recuſaverint, pater reverſus poteſt eum exheredare*, §. 13. quemadmo-
dum enim, indignum eſſe D. Pius decrevit, qui manifeſtiſſimè
comprobatus eſt id egiſſe, ut teſtator, à quo heres inſtitutus e-
rat, moreretur, *l. indignum* 3. *ff. de his, quæ ut indign. auf.* Sic & ex-
heredationis cauſa ſufficiens eſt, non redimere eum, cui quis
ſucceſſurus ſit. Aliàs etiam redemptio captivorum favo-
rabilis eſt, adeo ut & propter hanc res Eccleſiaſticæ alienari
poſſint *l. ſancimus* 21. *C. de SS. Eccleſ.* in qua memorabile eſt,
quod Imperat. conſtituit, ut alienatio valeat, non ſolum
in futuris negotiis (quibus aliàs regulariter leges formam
dare ſolent, *leg.* 7. *C. de ll.*) ſed etiam in illis; quæ tunc
in judiciis pendebant *Nov.* 7. *cap.* 8. *Nov.* 120. *cap.* 9. & 10. *cap.
ſicut omnino* 12. *q.* 2. Ratio hujus redditur in d. leg. 21.

quoni-

quoniam eſt abſurdum animas hominum, quibuscunque vaſis vel veſtimentis præferri. Sic quoque Ambroſius ab Arrianis reprehenſus, quod vaſa ſacra confregiſſet, ac pro redemptione captivorum impendiſſet, adverſus eorum calumnias ſe defendit, quia multò ſit commodius, ut anima Domino quam aurum ſervetur; & melius ſit Vaſa viventium (h. e. corpora hominum) ſervare quam metallorum *c. aurum* 12. *q.*2. Intelligitur autem hic captivitas ea, quâ quis à latronibus, furibus, piratis, hoſtibus & ſimilibus captivus tenetur, item cuſtodia publica pro quantitate aliqua pecuniaria facta: non ea quæ perpetua eſt, aut judicis ſententia definita: fruſtra namque pro ejusmodi captivo redimendo laboratur, *Gothof. in not. ad A. ſi captivi C. de Epiſc. & Cleric.* Quod ſi pater in captivitate moriatur, bona auferuntur à filio tanquam indigno & applicantur Eccleſiæ, & conſervantur pro redemptione aliorum captivorum *h. §. 13. d. A. ſi captivi, Schneidvv. in pr. Inſt. de exhered. liber. n.* 13. Poteſt tamen juſta eſſe excuſationis cauſa ob quam non imputetur heredi omiſſio redemptionis, ſi minor ſit, ſi inops, ſi tempora non patiantur, ſi ab alio præventus redimatur. Sed & voluntas ipſius capti excuſat, qui noluit ſe tanti redimi, quāti inſcriptus erat: ei enim magis imputandum quam heredi, quod maluit parcere ſuis facultatibus, quam cum earum aliquâ jactura redimi. Neque ex parte heredis tunc oritur ingratitudo vel indignitas, ob quam heredes expunguntur à ſucceſſione *Petr. Greg. Tholoſ. in Syntag. jur. lib. 46. cap. 9. num.* 4.

XXXVIII.

Decima quarta & ultima cauſa eſt: *ſi liberi ſint hæretici*, §. 14. Auguſtino hæreticus eſt, qui alicujus temporalis commodi & maximè gloriæ, principatusq; ſui gratia falſas, ac novas opiniones vel gignit, vel ſequitur *c. hæreticus* 24. *q.*3. & ſecundum Hieronym. quicunque aliter ſcripturam intelligit, quam ſenſus ſpiritus ſancti flagitat, quo ſcripta eſt, licet de Eccleſiâ non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt *cap. hæreſis* 24. *q.*3. *Alber. Datreſ. in erotē C. ad tit. de hæret. & Manich.* Hæreticos h.

 §. ap-

5. appellet Imp. qui non ſunt Orthodoxi, hoc eſt: qui non communicant Eccleſiæ Catholicæ, nec religionem Catholicam colunt, nec amplectuntur Symbola quatuor Synodorum œcumenicarum; Nicenæ videlicet, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ primæ, Chalcedonenſis. Et de hac quæſtione, qui ſint pro hereticis habendi judicium *Beuſty* hîc placet referre, quod extat *in tractatu de matr. cap. 37. ibi: magna prudentia & diſcretione opus eſt in diſcernenda hæreſi, præſertim in hoc exulceratiſsimo ſeculo, & quorundam Theologorum invidioſiſsimis diſputationibus in cauſis religionis. Religioſè conſulenda eſt ſacra ſcriptura, & in timore DEI cum judicio legenda & examinanda*; & initio ejusdem capitis ait: *Inter infideles non eſſe, numerandos, aut computandos eos, qui in uno aut altero Chriſtianæ religionis argumento diſſentiunt: & tamen nihilominus in fundamento Chriſtianum dogma profitentur &c.* Hæc ille.

XXXIX.

Quamvis autem inter noſtrates, qui Auguſtanæ Confeſſionis, & Pontificios, qui veteris religionis Catholicæ dicuntur, contentio ſit, utra pars fidei ſit Catholicæ; dum utraque id ſibi vendicat: tamen alterutra religio alterutri parti cauſam exheredationis non præbet, veluti: pater Romanam religionem profeſſus, filiam propterea exheredare non poteſt, quod is confeſſionem Auguſtanam ſequatur, & vice verſa: ſunt enim hæ duæ religiones in Imperio Romano lege publica permiſſæ, uti partim ex transactione Paſſavienſi, Anno 1552. facta; partim ex receſſu Imperii Auguſtano de Anno 1555. Convincitur: Nec concedendum Autori *libri de Autinomia* Franciſco Burckardo, quod à tempore Tridentini Concilij Conſtitutio Imperii de pace religionis expirârit. *Bocer. de jur. Dom. & Vaſall. lib. 2. cap. 6. n. 3.* ſub hac religionis Pace Calvionianos Comprehendi affirmat David Paræus in Irænico ſive de union. & Synod. Evangel. concil. cap. 29. motiv. 6. fundamentaliter & ſufficienter refutatus à viro Reverendo, p. m. D. Leonhard, Huttero In Iren. ipſi oppoſito c. 29. motio. 6. nam & verba expreſſa ſunt

ander

in d. Receſſ. Imp. de Anno 1555. ibi: Doch ſollen alle andere/ſo obgemelten beiden Religionen / (intellige Auguſtanam & Pontificiam) nicht anhängig / in dieſen Frieden nicht gemeinet / ſondern gäntzlich außgeſchloſſen ſein. Exinde facile colligitur; an filius, quod Calvinianam profiteatur religionem, exheredari poſſit?

De Quarto

Heres ſcriptus liberos ob juſtam Cauſam fuiſſe exheredatos, debet probare.

XL.

Jure Codicis liberi de inofficioſo querelam contra teſtamentum moventes probationem debent præſtare, quod obſequium debitum jugiter, prout ipſius naturæ religio flagitabat, parentibus adhibuerint: niſi ſcripti heredes oſtendere maluerint ingratos liberos contra parentes extitiſſe *l. liberi 28. C. de inoffic. teſt.* quod non immutatum *per l. omnimodo 30. C. eod.* uti exiſtimat *Gothofr. in not. ad l. 5. ff. eod.* eâ enim tunc demum heres inſtitus cauſæ veritatem probare tenetur, ſi liberos ingratos circa ſe fuiſſe teſtator dixerit, hoc eſt, cauſam exheredationis expreſſerit. Jure noviſſimo, cum cauſa exheredationis à teſtatore ſemper exprimi debeat, *ſub. th. 10.* hujus probatio ſpecialiter ab herede, non ab exheredato exigitur *d. cap. 3. verſ. ſive igitur*, ibi: Et ſcripti heredes nominatam, vel nominatas cauſas, vel unam ex his veram eſſe monſtraverint &c. *Don. ad A. ex cauſa C. de liber. præter. num. 3.* Et meritò hoc à Juſtiniano fuit conſtitutum: quia ingratitudo injuria exheredatione digna delictum eſt. Cum autem quilibet naturâ bonus præſumatur *Menoch. de præſumpt. lib. 5.*

pr. 1.

*pr.*1. delinquere autem & peccare boni viri non ſit, ſed mali & nequam, hoc minus præſumitur, ut probatione maxime indigeat. *Menoch d.l 5.pr.* 31.

XLI.

Quod ſi pater multas cauſas expreſſerit, quarum aliquæ veræ ſint, & ab herede poſſint probari : aliquæ non ſint veræ, nec per heredem poſſint probari : unam veram, & probatam eſſe ad exheredationem ſufficit h. cap. 3. verſ. ſive igitur, & ſic Doctores ferè omnes decidere teſtatur Sichard. ad *A. non licet C. de liber. præt. num.* 32. Et ſi heres elogij veritatem docere nequeat, & in probatione ſuccumbat, vincit in judicio, qui de inofficioſo agit, idem enim eſt, ac ſi exheredatio facta non eſſet, cum jure noſtro paria ſint, non apparere & probari non poſſe l. *duo ſunt Titii 30. ff. de teſtamentar. tutel.*

De Quinto Et Ultimo.

Teſtamentum in quo filius eſt præteritus vel injuſtè exheredatus, tantum quo ad Inſtitutionem infirmatur.

XLII.

Si hæc omnia quæ in hoc cap. 3. ad teſtamentum requiruntur non fuerint obſervata, quæſtionis eſt : *an ipſo jure teſtamentum ſit nullum, an verò per querelam inofficioſi debeat reſcindi* ? *Martin. gloſ.* & qui eum ſequuntur, exiſtimant, in lineâ rectâ huic querelæ locum amplius non eſſe, & à nullo hodiè teſtamentum inofficioſum dici poſſe quam à fratribus præteritis, quorum ſententiam veriorem eſſe ait *Gilk. ad l. omnimodo 30. C. de inoffic. teſt. num.* 8. Alii diſtingunt, an quis inſeruerit Cauſam exheredationis, an minus, ut hic teſtamentum ipſo jure nullum

lum ſit, illic verò referat, an heres cauſam probaverit, an id facere non potuerit, ut priori caſu querela ſit ſine effectu, ultimo verò caſu rectè proferri poſſit. *Schneidvv. ad pr. inſt. de inoffi. teſt. num. 10. Mynſing. ibid. num. 6. Br. in l. 1. ff. de teſtam. num. 5. Anton. Gomez Variar. Reſol. tom. 1. cap. 11. num. 10.* & alij quod refert. *Gilk. n. ad d. l. omnimodo 30. num. 5. Vid. etiam Anton. Fabr. 14. error 7.* Verior videtur ſententia; Teſtamentum ejuſmodi & hodiè per querelam reſcindendum eſſe: Hoc enim per præſens cap. 3. Correctum non indicatur, cum & hic illis verbis uſus fuerit Juſtinianus ἀκυροῦσθαι καὶ ἀνατρέπεσθαι τὴν διαθήκην, infirmari & everti teſtamentum: non vult teſtamentum ipſo jure nullum eſſe, ſed infirmum fieri & evacuari. *Vigl. Zuichem. ad rubr. Inſt. de inoffic. teſt. nume. 4. Hugo Don. ad A. ex cauſa C. de lib. præt. n. 5.*

LXIII.

Teſtamento olim reſciſſo, nihil omnino eorum, quæ in illo ſcripta eſſent valebant, nam quæ ex eadem voluntate dependent, non debent diverſo, ſed eodem jure cenſeri *l. 8. §. ult. l. qui repudiantis 17. §. cum contra l. 28. in fin. ff. de inoffic. teſt. l. liberi 28. C. eodem l. filio 17. ff. de injuſt. rupt. &c. l. 8. §. ult. ff. de bon. poſſ. contr. tab. l. 1. C. de poſth. hered.* Jure hoc noviſſimo conſtitutum eſt, ut teſtamentum quo ad inſtitutionem ſolam heredis ſit irritum, valeat autem quo ad cætera capita, ut legata, fideicommiſſa, tutorum dationem, manumiſſionem libertorum aſſignationem. Non enim neceſſe fuit, ultra inſtitutionem heredis aliquid præterea ex teſtamento rejicere aut evertere, filius enim dummodo heres ſit patri ſuo, nulla afficitur injuriâ, (quam hic ſolum quantum fieri potuit Juſtin. voluit auferre) quantumvis multa magnaque legata vel fideicommiſſa, de bonis paternis cogatur aliis præſtare, quantumvis nullos manumittat ſervos, vel quantumvis ſub tutelâ ſit. Hæc enim omnia poterat in filium

ſtatue-

ſtatuere pater, etiamſi heredem eum inſtituiſſet. Accedit quod pœna, quæ commenſuranda eſt delicto, hujus modum egredi non debeat *l.ſancimus* 22.*C.de pœnis*, in præſenti autem pater non niſi quo ad inſtitutionem peccat. *Sichard.ad A. ex cauſa, C.de lib.præter.num.*2.*ibid. Don.num.*7 *& ſeqq.ibid.Vid.Gilk. Dauth.de teſtamentis num.*372. Huic repugnare videtur juris ratio, quæ dictat, quod cum principalis cauſa non conſiſtat, plerumque nec ea quidem, quæ ſequuntur, locum habeant. *l.*129.§.1.*l.*178.*ff. de R.I.c. acceſſorium de R.I.in* 6. Verum omnem dubitationem ſuſtulit Juſtiniani Conſtitutio *in cap.*4.*verſ.ſi quid N.*115. Si veteribus legibus aliud cautum ſit, nolle ſe eas leges valere. *Don.d.l.num.*8. Et ſolent Impp. interdum in ſuis conſtitutionibus atque decretis, juris ſtricti rationem ac regulas negligere: Vel etiam ipſis quodammodo vim inferre, easque infringere & pervertere: Ad æquitatem potius & utilitatem quam ad ſubtilitatem reſpicientes *Vid.l.cum mater* 28 *de inoffic.teſt.* Non improbabiliter hic fortaſſis dici poterit, reliqua capitula in teſtamento adſcripta, ab initio ſuum fundamentum & caput in inſtitutione habuiſſe, hâc per querelam quaſi ſubtractâ & illa quidem corruere deberent. habent tamen legis quaſi fulcimen, illa enim facit, ut quo adhæc teſtamentum firmum maneat, idque per quandam fictionem. Cujusmodi fictio non eſt in frequens, ut in actione nepotis ab eo facta qui filium non habet, probatur §.*licet a.*5.*Inſt.de Adopt.* ſufficit enim ut poſſit aliquis filium habere cum lex ſola potentia, contenta ſit. *Anton.Fab.in Rat.ad l.*37.*ff.de Adopt.* Nihil igitur legi obſtat, quin ejus fictioni locus & hic relinquatur.

XLV.

Hujus textus conſtitutionem in præteritione paterna locum non habere, exiſtimat *Anton.Fab.*20.*error.*9.*Gilken.ad A. ex cauſa C.de liber.præt.num.*8.non tamen generalitas patitur, ut ad ſolam præteritionem reſtringatur maternam; Proinde obtinuit, ſive à patre, avoque paterno, ſive à matre avoq; mater-

materno liberi prætereantur. *Duar. ff. de in juſt. rupt. irrit. teſtam. c. 2. Donell. ad d. A. Fachin. lib. 6. Contr. 77.* Et hoc procedit ſive à ſciente, ſive ab ignorante liberi prætereantur. *Don. 6. Comment. 13. & d. A. Cujac. 10. Obſerv. 21.* Verius denique videtur, legata & fideicommiſſa in teſtamento, quod poſtea, quo ad inſtitutionem reſciſſum eſt per querelam non ab inteſtato, ſed ex teſtamento peti debere: quia diſertè Imp. ait: teſtamentum quo ad legata & cætera capita valere. *Donell. ad d. A. ex cauſa C. de lib. præt. num. 12.*

HONOR ET GLORIA SOLI DEO.

IN GRATIAM

NOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE DN. RESPONDENTIS.

Quidquid mundus amat, vanum eſt, ferturq; per auras;
Nobilitas, nummi, forma, ſuperba domus:
Forma perit morbo, vis bellica deſtruit arces,
Et luxu magnæ dilapidantur opes.
Sola igitur virtus, & , quæ virtute paratur
Gloria, non fictum creditur eſſe bonum:

Hæc foliis, fructuq; ſuo viridi æmula lauro
Floret, & æternæ ſemina laudis habet.
Sic etiam poterit ſummos acquirere fructus,
Cui ſtudium Themidos unica cura fuit,
Tuq; etiam doctus, tu gnarus habebere juris,
Dum juris gaudes, mi Theodore, libris.
Ergò theſes, quas Præclaro ſub Præſide ſcribis,
Gratatur meritò noſtra Thalia tibi.
Tu modò, ceu quondam vixiſti, pergito ſoli
Vivere virtuti, vivet & illa tibi.

Declarans amicitiam infucatam gratulatur

Petrus Ioànnis Rigâ Livo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE